13776

Diſſertatio Inauguralis Chirurgico-Medica

DE FOETUS MORTUI
CUM ANNEXIS SECUNDINIS
EX UTERO EXTRACTIONE

de qua

Gratioſæ Facultatis Medicæ Hallenſis

Indultu

Præſide Pro Rectore Magnifico

DOMINO D. MICHAELE ALBERTI,

Sacr. Maj. Reg. Boruſſ. Aulico, & Conſiſt. Magdeb. Conſiliario, Med. & Philoſ. Nat. Prof. Publ. Ordinario, &c.

Decano h. t. Spectatiſſimo,

Halæ die Novembris 1737.

Brüning 73.

PRO GRADU DOCTORIS

diſſerit

Autor & Reſpondens

Joannes Gottlob Pannach,

Budiſſa-Luſatus.



PROOEMIUM.

NOn dubito, fore pleroſque, qui & Anatomiæ & Chirurgiæ uſum in praxi medica magnum, & ſatis Medicis dignum judicent; inprimis cum noſtris temporibus in Gallia & Anglia, ut & in quibusdam Germaniæ regionibus Chirurgia per magnam & indefeſſam Medicorum & Chirurgorum induſtriam, atque laborem ad ſummum fere perfectionis faſtigium pervenerit, ut jure jamjam de hac dici poſſit, quod ea pars medicinæ ſit; multi tamen quoque ſunt, qui Artis Obſtetriciæ profundiorem perſcrutationem atque manuale exercitium, cum tamen quoque ad Operationes Chirurgicas, & quidem præcipuas adnumerandum ſit, ſiquidem omnes aliæ Chirurgiæ Operationes ad conſervationem tantum unius partis deſtinatæ ſunt, hæc operatio contra ea vitam tam matris quam etiam fœtus e periculo mortis liberare, atque conſervare poteſt, Medico indignum, & obſtetricibus ad hanc conſtitutis relinquendum eſſe putant. Verum enim vero cum Ars Obſtetricia ipſa omnes mulierum, præcipue gravidarum, earumque fœtuum morbos proprios, ut & partus tam naturales quam

præternaturales, & quidem tot diverſas eorum ſpecies, & perſæpe funeſta accidentia ſymptomata ſub ſe comprehendat, obſtetrices autem nulla Theoria Medica, ſed anilibus fabulis, ſuperſtitionibusque ſæpe imbutæ, & nomine non re ipſa tales ad ardua, & gravia hæcce negotia & ſuſcipienda, & peragenda, minime capaces, atque idoneæ ſint, profecto non video, quomodo hæc ſumme laudanda ars a Medicina excludenda ſit; quare ex eo tempore quoque, quo ſtudia mea arti Medicæ conſecravi, & quidem in inclyta Academia Hallenſi ſub fideliſſima Excellentiſſimorum & Doctiſſimorum Profeſſorum manuductione præcipuas ejus partes ὑγιείνην nimirum, æque ac Therapiam, & ſic tam Theoriam quam Praxin diſcendo, ſemper obſervavi, quod ad haſce omnes partes notitia & exercitatio perſpicua Anatomiæ & operoſa Chirurgiæ, nec non practica Artis Obſtetritiæ cognitio perquam neceſſaria ſit; Et hanc ob cauſam mihi nullus vitio vertet ſpero, quod, poſtquam in Alma Argentoratenſi Academia per annum tam in Anatomia, ac Chirurgia, quam in Artis Obſtetritiæ ſtudio tam theoretico, quam practico operam impendi; nunc autem in Alma Fridericiana Academia Hallenſi exantlatis examinibus conſuetis, nec non obtenta a Gratioſa Facultate Medica permiſſione Diſſertationem conſcribendi hocce Thema *de Fœtus Mortui cum annexis Secundinis ex Utero Extractione* mihi elegerim, & ſecundum dogmata (quibus ex ore *Nobiliſſ. Doctiſſ. atque Experientiſſ. Dn. D.* FRIEDII, Medicinæ, ut & Artis Obſtetriciæ Practici Argentoratenſis Feliciſſimi, Fautoris, & Patroni Mei omni pietate ad cineres usque colendi, atque devenerandi imbutus ſum, ac ſub ejus manuductione fideli, ac ſincera tam in Theoria, quam Praxi hauſi,) tractare, & Tibi, B. L. porrigere voluerim. Faxit Archiatrorum Archiater propitius, ut hic labor in Nominis ſui gloriam, proximique languentis, meique ſalutem vergat.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

§. I.

NOn occupabor prolixe in nominibus, ſed ſatis dixiſſe puto, quod per Fœtum mortuum nihil aliud recepto ſenſu intelligatur, quam proles legitimo tempore edenda, quæ autem in utero vitam amiſit, & ita diſtinguenda ſit ab Embryone, qui vocatur, quamdiu adhuc in utero continetur; & ab Abortu, qui juſto citius excluditur.

§. II.

Quod proceſſum formationis Fœtus autem attinet, ille hunc in modum fit: Si nimirum ſemen maſculinum prolificum & quidem pars ejus ſubtiliſſima, Aura alias dicta per arvum muliebre mediantibus tubis Fallopianis, ad ovarium usque pertingit, per hujus æque ac ipſius ovuli membranarum porulos penetrat, corpus illud albicans (quod ſtamina totius fœtus eſſe putatur) vivificat, vi ſua expanſiva totum ovulum inflat, fibrillas mediantibus quibus ovulum ovario adhæret, abrumpit, quod ovulum nunc imprægnatum in ovario non poteſt ſubſiſtere, ſed per eandem viam, qua Aura ſeminalis ad interiora ovarii tranſit, ex ovario egredi, & per tubas Fallopianas in uteri cavum delabi cogitur.

§. III.

Poſtquam autem ovulum in cavum uteri delatum & ab illo receptum eſt, ab uteri lateribus quaquaverſum arctiſſime amprehenditur, hinc fibrilla ejus beneficio ſubtilioris mucilaginis, & tenuiſſimi petioli, (qui ratione ipſius corporis ovuli pondere etiam levior eſt) & ita altiora reſpiciat, ad uteri fundum appellitur, & quaſi adglutinatur,

dum ſubſtantiæ ejus ſpongioſæ ſeſe inſinuat, radices ibi agit, & ſic ſenſim, ſenſimque in orbiculum illum carneo-ſpongioſum, qui placenta, ſeu hepar uterinum vocatur, mutatur.

§. IV.

Cum vero ovulum in ovario absque nutritione non concipere poſſumus, ſiquidem illud ovulum nullibi ovario, quam mediante mucilagine una cum ovuli petiolo, ſeu fibrilla ſupra jam recenſita, quæ etiam ſenſim ſolidior evadit, adhæreat, neceſſe eſt, ut illud quod ſtaminibus fœtus nutritionem & ſuſtentationem ſuppeditare debet, per ipſam hanc ovuli fibrillam ſtaminibus adfluat: mucilago itaque ſupra jam recenſita una cum ovuli petiolo cum ovulo in uterum delata & ſenſim ſolidior facta, ſuppeditat illa placentæ uterinæ, hic autem funiculi umbilicalis materiam.

§. V.

Ipſum vero ovulum duæ cingunt membranæ, quæ autem ſine dubio nihil aliud ſunt, quam eædem membranæ, quæ fœtum in utero includunt, hac differentia tantum, quod illæ nunc ob abundantem per placentam acquiſitam nutritionem, magis extenſæ, firmiores, ſolidiores, & craſſiores ſint; & quarum interior membrana Amnion, exterior Chorion audit. Chorion, ſeu membrana exterior, & utero proxima, interiori craſſior, ſpongioſa, villoſa, & multis venis & arteriis ab umbilicalibus prodeuntibus, ut & in illo loco, quo placenta utero annexa eſt, eodem contigua, multis vaſis quoque lymphaticis referta eſt, in plures quidem dividi poteſt lamellas, ſed in duas facillime. Amnion contra membrana multo tenuis, pellucida, & Chorio contigua, vaſis pene deſtituta,

ta, niſi quod pauciſſimis ſanguiferis a Chorio prodeuntibus inſtructa ſit, & quæ fœtum liquore glutinoſo & diaphano innatantem proxime circumfluit; Ad has membranas ad numeratas a nonnullis Anatomicis quoque adhuc tertia membrana Altantois ſeu Farciminata dicta ad numeratur; quia vero illa nondum ab omnibus recepta, & præterea tantum in brutis obſervata eſt, ejus inquiſitionem omittam.

§. VI.

Uſus harum membranarum deſcriptarum in eo conſiſtit, ut primo fœtum ab injuria externa utero allata, defendant, deinde nimias corporis commotiones, quæ interdum a fœtu inſtituuntur, infringant, quo minus utero noxiæ evadant; poſtea, ut tempore partus, quando Aquæ ope dolorum in hiſce membranis contentæ, verſus inferiora uteri propelluntur, membranæ, orificio, & vaginæ inde impulſæ ac diſtentæ fœtui viam ad exitum ampliorem reddant. Hæ membranæ aquam continentes per totum geſtationis tempus molles atque rugoſæ ſunt, ad venientes vero ad partum dolores, & tot contractiones uteri ſpaſmodicæ fœtum deorſum verſus orificium illius propellunt; hic vero circumfluentibus aquis membranis orificio jam incumbentibus, impingendo eas expandit, hinc tenſas & læves deinde afficit ac ſic pathognomonicum illud partus imminentis ſignum, quod obſtetricantes Aquas ſe ſiſtere aut germanice: die Waſſer ſtellen ſich, appellitant, profert.

§. VII.

Hæ Aquæ, quæ in modo deſcriptis membranis contentæ ſunt, ab Autoribus reſpectu originis harum aquarum, varie deducuntur: Alii enim illas ab urina per Urachum

chum in membranas defluente, alii a fœtus ſudore ut & ab ejus ſaliva derivant; DE LA MOTTE *l. 1. c. 24.* a ſanguine placentæ ope glandularum ſeparato, & mediantibus vaſis lymphaticis, quæ membranas fœtum cingentes, & quorum magnam copiam demonſtrante MERY propriis ſe vidiſſe oculis contendit, & per membranarum poros in earum cavum inſtillante, deducit; verum enim vero, quemadmodum priores ſententiæ multis objectionibus obnoxiæ ſunt, hæc tamen meliori jure defendi, & licet contra hanc objici poſſit: continuum aquarum adfluxum ſine effluxu nimiam illarum, & hinc fœtui ſine dubio nocivam producere copiam; reſpondet *Dominus* DE LA MOTTE, quanquam per fictitiam tantum aquarum in & extra corpus fœtus circulationem, aſſerens, ſuperfluam harum aquarum copiam per fœtus poros patulos, vaſa corporis ejus lymphatica intrare, & cum reliquo ejus ſanguis permixtam per arterias umbilicales ad uterum rurſus pertingere; Aſt meliori jure dicere potuiſſet, quod, cum quilibet in lucem editus fœtus certo quodam muco albido obductus ſit, hic vero non aliunde, quam ab adglutinatione dictarum aquarum in cute fœtus a calore partis interno promota, indeque naſcens, & fœtum plus minus ſemper obducens limus, (cujus originem ſimplices obſtetriculæ largiori eſui caſei, durante graviditate adſcribunt) nimiam copiam ſatis ſuperque abſorbeat, atque abſumat. Quod qualitatem aquarum attinet, ſunt illæ fluidæ, tenues, ſaporis interdum nullius, quandoque autem ſalſi & acris, conſiſtentiæ vero aliquatenus glutinoſæ, uti id exhalatio lento igne inſtituta, comprobat.

§. IIX.

Uſus vero harum Aquarum varius eſt. Primo enim

libe-

liberum motum membrorum fœtus, qui illis quaſi innatat, conſervant; ſecundo impediunt, quo minus fœtus cum membranis coaleſcat; Tertio, ut externam vim utero violento motu illatam, infringat, præcipue quarto, ut tales Aquæ partus tempore a doloribus verſus inferiora propulſæ, membranas illas continentes, orificio uteri impingant, diſtendantque, quo eo melius orificium inde, ut & vagina dilatentur, ac ad fœtus tranſitum ampliores, aptioresque reddantur; quidam ſibi quoque perſuadent, eas nutritioni fœtus inſervire, quia in fœtum recens natorum ventriculis liquor quidam Aquis hiſce perſimilis reperitur, quam ſententiam vero *Magnif. Dn. D.* ALBERTI, & *Excell. Dn. D.* JUNCKER in Phyſiolog. de Generatione & Partu rejiciunt; ut & M. MAPPUS *in Diſſ. de Aquis, in quibus tempore geſtationis fœtus quaſi natat*, 1685. *Argentor.* habita, & *Celeb.* SALTZMANNUS *in Diſſ. de Circulat. ſangu. in fœtu*, it. JO. ERASM ETTMÜLLER *in Diſſ. de Circulat. ſangu in fœtu ſolide examinaverunt:* Sed quod fœtus magis a ſanguine materno nutriri queat, inter alia argumenta etiam hoc probat, quod mater extra uterum gemellos lacte proprio ſufficienter per aliquod tempus nutrire poſſit. Hunc Aquarum, quem ipſa experientia docuit uſum, alii ampliorem reddere, & illum genitalium ad partum facilitandum tam neceſſariam humectationem lubricam addere volunt; quæ vulgaris præſumtio a temporibus HIPPOCRATIS usque in hunc diem retenta eſt, ac ſi hæ Aquæ cum membranis fœtum in utero circumdantes in partu ad genitalia humectanda inſerviat, ut partus eo facilius & citius promoveatur; cum tamen extra aleam dubitationis poſitum ſit, quod ab his Aquis, tamdiu in mem-

branis incluſæ ſunt, ne guttula quidem per has membranas transſudet, ſic per ſe clarum ac apertum eſt, quod per conſequens ejusmodi aquæ genitalia non humectare, ac lubricare poſſint. E contrario vidimus in illis partubus, in quibus membranæ præmature disrumpunt, & poſt hanc disruptionem aliquid aquæ quodam dolore profluit, ita ut, quamquam hac aqua genitalia humectantur, & lubrica redduntur, nullus tamen celer, & facilis, ſed potius diuturnus, & per difficilis partus extiterit; inſerviunt potius hæ Aquæ, ut in partu præcipue, uti jamjam ſuperius dictum eſt, fœtui viam aperiant, dum a doloribus ad partum in membranas impulſæ, has extendunt, orificio impingunt, illud æque ac omnes reliquas partes genitales, nempe latera vaginæ nec non hujus introitum ita dilatant, ut miraculi inſtar pars, quæ paucum ante temporis ſpatium ne acus quidem cuſpidis immiſſionem permittebat, nunc prægrandi pone aquas adſtanti fœtus capiti exitum patefaciant, & concedant.

§. IX.

Ex quibus propterea liquet, quod in partu naturali mens minime in rupturam Membranarum & effluxionem Aquarum dirigenda ſit, & quod juxta Veterum opiniones noxæ membranarum fœtum cingentium non exiſtere poſſint, ſi nempe aſſerunt, quod iſtæ membranæ vel nimia craſſitie, vel nimia tenuitate peccent. Membranæ enim, ſecundum illorum ſententiam nimis craſſæ fœtus exitum impediant, & partum retardent, nimis tenues autem Aquas juſto citius emittant, ſiccitatem viarum inducant, & hinc quoque partum difficilem reddant. Verum enim vero cum ex iis, quæ de Membranis & Aquis ſupra

dicta

dicta ſunt, ſatis ſuperque conſtet, quod iſtæ membranæ fœtum ambientes & continentes, Aquisque in partu diſtentæ vias per quas infans tranſire debet, in eam amplitudinem dilatent, ut caput fœtus ſine magno impedimento illas tranſire, & eo facilius in lucem edi poſſit; certe non video, quid detrimenti, & fœtui, & matri a Membranis craſſis contingere poſſet. Quin potius hæc conſectaria inde ſponte proveniant, quod, quo craſſiores membranæ ſint, eo difficilius rumpantur, & quo difficilius rumpuntur, eo magis extra corpus parturientis nixuum ope propellantur, & quo ultra propellantur, eo magis quoque omnes & ſingulas vias, per quas fœtus tranſire debent, dilatent, itaque profecto partum non retardent, ſed potius accelerent.

§. X.

Male itaque, imo peſſime iſti agunt, qui rebus ſic ſe habentibus ob levem quamvis partus retardationem, ſtatim ad Membranæ disruptionem confugiunt, ſicque inter media illa a natura conſtituta parte remota, caput infantis cogunt, ut ſibimet ipſi vias aperiat; cum interim hæ admodum anguſto ab illo prægrandi, non niſi poſt multos cruciatus, & matri, & fœtui nocivos dilatari & extendi poſſint; quapropter etiam in partu naturali membranæ extra corpus parturientis quoque poſitæ non rumpendæ ſunt antequam & caput infantis ad aures usque editum ſit, ne illis citius disruptis vaginæ orificio nondum ſufficienter aperto, caput vi irruens, & illi & perineo rupturam inducat; quinimo ſi de uſu & noxis Membranarum fœtum cingentium accuratius diſſerendum eſt, antea probe obſervandum, quid cum illis in partu naturali accidit,

 nem-

nempe quo naturalior partus eſt, eo tardius Membranæ rumpuntur; quinimo ſæpiſſime non citius usque in forma capitis infantis extra corpus parturientis poſitæ ſint. Cum autem in partu naturali motus ſpaſtici fortiores longius durantes, & magis penetrantiores ſint, quam in omnibus aliis partus ſpeciebus, & tamen in his Membranæ non citius usque cum corpore æquales ſint rumpant, aut ſi adhuc longius procedunt, ſine dubio ſponte disrumpunt, neceſſario manifeſtum eſt, quod neque craſſities nec tenuitas Membranarum aliquid ad difficilem & diuturnum partum contribuant, ſed ſi in priſtinis temporibus a Veteribus propterea, ſed non cum jure accuſantur, in re ipſa quidem ſe, non autem ejus cauſa & fundamento fefellerunt; nam licet quidem verum ſit, quod, juſto citiorem aquarum effluxum partus difficilis ſequatur, qui autem juxta Veteres a nimia tenuitate harum Membranarum dependeat, falſum tamen eſt, & non firmiori innituntur Veterum rationes fundamento, dum dicunt, quod talis partus a viarum ſiccitate, a penuria aquarum inducta, originem trahat, cum tamen unicuique initiatæ obſtetrici cognitum ſit, quod in tali partu ſub quovis redeunte nixu, intus adhuc Aquarum, & retro fœtum poſitarum portio quædam deſtillet, quæ itaque vias profecto non ſiccas, potius autem ſufficienter madidas conſervet; Fallacia itaque cauſæ Veterum aſſertum nititur, non animadvertentes, ſitum fœtus obliquum in utero, quippe qui illas ſcilicet Membranas non perpendiculariter, ſed ad latus comprimit, & per inæqualem illius compreſſionem ad talem disruptionem impellit, atque urget; pari autem ratione res quoque ſeſe habet cum commentitia & imaginaria Mem-

brana-

branarum duritie, & craſſitie, quippe quæ per ſe nullum tardum, & difficilem partum efficit, ſed tantum ſignum dant, quod motus ſpaſtici non tam fortes & vegeti ſint, quam ad disruptionem harum Membranarum illi requiruntur, ut id quoque tunc eluceſcit, ſi fortior motus ſpaſticus ſequitur, quippe qui brevi temporis ſpatio non tantum Membranas disrumpit, ſed adhuc multo majus impedimentum, quod ex his Membranis provenit, infanti removet, dum hic motus perineum in totum, imo ſæpiſſime anum ipſum disrumpit: Fingamus autem, ut hæ Membranæ ante corpus muliebre non ponerentur, & celeriter vehementerque motus ſubſequentes non permitterent, tantum temporis ſpatium ad disruptionem earum Membranarum, nullum tamen damnum plane neque mulieri, nec infanti, exſurgeret, ſed tantum hoc unicum timendum eſſet, ne totum infantis corpus cum Aquis & Membranis funiculo umbilicali & ſecundinis una & ſimul in lucem venirent; conſequenter id tantum peragendum eſſet, ut Membranæ celeriter diſſecarentur, fœtus in illis extraheretur, & funiculus umbilicalis deligaretur; ex quibus omnibus quoque ſequitur, quod Autores, & inprimis DIONIS *in tract. de generatione & partu hominis p. 369.* non bene ſuadeat, ſi ait, quod Membranæ ſpeciem duritiei præbentes, ſi non ipſæ disrumpunt, unguibus dilacerandæ, & aperiendæ eſſent, dum ſi infantis caput vere ſe in orificio vaginæ ſiſtit, partus per hanc apertionem eo magis retardatur: Sunt itaque Membranæ non dilacerandæ, tamdiu ſigna partus naturalis exſtant, ſi autem vel funiculus umbilicalis ante infantis caput provenit, & in Aquis per Membranas ſentitur, vel infans quoque alteram cor-

 poris

poris partem in partum ſiſtit, & hæmorrhagia uteri cum partu conjuncta eſt, tunc Membranæ utique ſunt dilacerandæ, & disrumpendæ, ſed minime in hoc reſpectu ad partum promovendum, ſed quia in his caſibus, & accidentiis infans & mater, aut utraque ſimul in vitæ periculo ſunt, inverſio peragenda, quæ autem non citius quam poſt Membranas disruptas perfici poteſt.

§. XI.

Nulla itaque mala nec matri nec fœtui a Membranarum ſive craſſitie, ſive tenuitate in partu metuenda ſunt: poſt partum vero hæ Membranæ plus metus quam damni incutiunt, ſi nimirum quandoque in puerperis una vel altera die poſt partum hæ Membranæ ceu inteſtinum longum, craſſum & ſanguine diſtentum e partibus muliebribus propendent, quod autem a Membranis fœtum cingentibus exoritur, dum hæ non tantum circumcirca placentæ ambitum, ſed & reliquis in locis utero nonnunquam adhærent, & poſt placentæ extractionem non una eductæ, ſed ulterius utero annexæ lochiorum ſanguinem excipiunt, & tunc oneratæ ſponte inferiora petunt, atque ſub inteſtini longi, craſſi, ſanguine impleti figura, ac forma, quod autem obſtetrices vulgo Blut-Säckel vocant, ſæpe propendent, quæ Membranæ ſanguine refertæ autem audacter manu prehendendæ, & leni attractione totæ educendæ ſunt, & hunc in modum non ſolum puerpera, ſed & ſæpiſſime obſtetrix ab inani metu alicujus damni liberantur.

§. XII.

Conſideratis & noxis Membranarum fœtum cingentium reſtat quoque, ut tandem noxæ, & damna Aquarum,

quibus

quibus fœtus tempore graviditatis innatat, & de quibus ſupra jamjam mentio facta eſt, examinentur. Peccant autem illæ vel nimia quantitate, vel nimia paucitate: Signa autem, ex quibus earum nimia paucitas dignoſcitur, apparet partim & quidem durante graviditate, ex quovis matri moleſto ac ſenſibili motu infantis, ex quo nonnunquam ſugillatio abdominis externe conſpicua oritur, partim quoque in partu ipſo ex inflatione, atque extenſione parva Membranarum fœtum cingentium ſub quovis nixu accedente, nec non ex Aquarum effluxu pauco poſt disruptionem Membranarum. Si vero cauſa nimiæ Aquarum paucitatis, & quidem proxima perſcrutanda eſt, hæc ſine dubio in ſtatu præternaturali vaſorum lymphaticorum placentam, & Membranas perreptantium ac humorem contentum non ſufficiente quantitate cavitati Membranarum inſtillantium quærenda; Remota autem in temperamento gravidæ, nempe melancholico-cholerico atque ſpiſſitudine ſanguinis prædito, & ſic ſeri defectu laborante invenienda erit. Mala, quæ a paucitate Aquarum exiſtunt, ſunt, ut ante dictum eſt, gravidæ ſenſus a motibus fœtus moleſtus, indeque producta ſugillatio abdominis externa a violenta, & vehemente fœtus vegeti ad uterum alliſione, ab Aquis paucis non infracta, ſed propagata ad abdominis usque integumenta, ad quam termino graviditatis abſoluto partus lentus matri & fœtui incommodus accedit, quia paucæ aquæ a nixibus ad Membranas pulſæ has vix replent, parumque diſtendant, quo eo minus vias, per quas fœtus tranſire debet, anguſtas ſatis dilatare poſſint; Symptomata vero hæc per humectantia & diluentia, ut e. c. per aquæ ſimplicis tam tepidæ, quam calidæ largio-

giorem potum, ut potus Theè, Coffeè, Veronicæ, per Decoctum Hordei, Avenæ, nec non ſerum lactis, & per uſum Thermarum, ut & perjuscula diluta Rad. Cichorii ſylveſtris, Herbarum Lactucæ, Endiviæ, Spinachiæ, Acetoſæ, Cherefolii, Florum Bugloſſi, Borraginis, Bellidis Hortens. præcaveri, & tolli poſſunt.

§. XIII.

Quemadmodum itaque Aquæ paucitate peccant, ita & nimia quantitate peccare poſſunt; apparet autem illa quantitas in gravidis ex intumeſcentia pedum, femorum, genitaliumque, tumore œdematoſo inſigni, inflatione, atque extenſione ventris, repletione ſumma vaſorum abdominis intercutaneorum, urina pauca, rubicunda, & craſſa, anguſtia pectoris, & quidem adeo, ut gravida & Medicus ſæpius credant, ſeſe non gravidam eſſe, ſed tympanitide a menſium ſuppreſſione oborta non conſummata laborare, nec non flatuum accumulationibus, & expanſionibus, inprimis ſi ſenſus fœtus, quem antea diſtincte gravida percepit, paulatim obtunditur. Cauſa tam proxima quam remota Aquarum nimia quantitate peccantium e cauſis contrariis Aquarum nimia paucitate peccantium per ſe facile eluceſcunt: Symptomata autem omnia, quæ in hoc ſtatu oriuntur, ſine præjudicio ac damno fœtus in utero per lenia diaphoretica, diuretica, & laxantia tolluntur; ut autem in ancipiti tali caſu certitudo graviditatis eo melius exploretur, optime per tactum caput infantile transverſim ſubſtantiam uteri, huius orificio incumbens, ſentientem, impetratur.

§. XIV.

Ut autem hac occaſione de Aquis Spuriis aliquid adjiciam,

jiciam, agmen Aquarum iſtæ claudant. Vocantur autem Aquæ ſpuriæ illæ, quæ ultimo geſtationis menſe gravidam ſine cauſa evidente prægreſſa ſubito poſt fragorem levem, eumque internum impetuoſæ, copioſæ, ſimul atque ſemel effluentes madefaciunt, & tamen neque nixus, neque apertura notabilis orificii uterini, nec partus nonniſi poſt unam vel alteram ſeptimanam ſubſequitur: Quod originem harum Aquarum attinet, quidam ab urina diutius in veſica retenta deducunt; verum cum nulla urinæ excretio fragore accidat, neque dictæ Aquæ, nec colorem, nec odorem, nec ſaporem poſſideant, hæc ita eſſe non poteſt; Nonnulli eas ex vaſe lymphatico uteri disrupto emanantes eſſe dicunt, ſed his objiciendum eſt, quod orificium horum vaſorum non repentino, nec cum fragore, ſed inſenſibiliter, & placide aperiatur, hincque effluxum (poſito, quod in cavitate uterinæ collectæ fuerint) his Aquis non impetuoſum, ſed tacitum concedat. Veritati itaque illi magis accedunt, qui placentam ejusmodi gravidæ poſt partum illius extractam ſollicite inſpicientes, & illam maſſam quondam carneo-ſpongioſam, informem a placenta vera interſtitio membranoſo ſeparatam, imo duas membranas diſtinctas poſſidentem adhærentem habere, videntes perhibent, mulierem graviditatem conceptionem gemellorum iniviſſe, horum unum, juxta naturæ leges accreviſſe, alterum vero in conceptionis primordiis vitam caſu neſcio quo finiiſſe, placentam vero hujus æque ac membranas rite ſubſtituiſſe, illam placentæ alterius fœtus ſuis radicibus ſparſis adhæſiſſe, has vero ſerum a vaſis lymphaticis defluens, & fœtus mortui ſtamina temporis tractu ſolvens recepiſſe, ac durante graviditate

ad ultimum usque ejus menſem conſervaſſe, tunc vero alterum fœtum, robuſtum, ac varie ſeſe moventem illas Membranas Aquis plenas ad hunc vel illum marginem oſſis pelvis tanta vi impegiſſe, ut hæ ulterius reſiſtere neſciæ, ſed cum fragore diſſilientes, illas per orificium uteri, aliquatenus jam hians, impetuoſe ſimul ac ſemel effuderint. Ex quibus omnibus propterea patet, quod cauſis ſic ſe habentibus ab Aquarum ſpuriarum emanatione gravida æque ac fœtus præter metum inanem inopinati & difficilis partus nulla damna patiatur, modo obſtetrix, has Aquas ſpurias pro veris habens gravidam ſibi nunc parturientem viſam, ad labores partus non cogat, nec ad nixus provocandos, remediis pellentibus torquendo, partum præmaturum, laborioſum, forſitan & præternaturalem, hinc matri & fœtui periculoſum adurgeat, ſed potius gravidam admoneat, ut cum Aquarum ſpuriarum effluxus inſtantem partum denotet, animo & corpore quieta per diætam convenientem, & proprias, & fœtus vires pro partu feliciter abſolvendo, ſollicite conſervet.

§. XV.

Conſideratis atque tractatis hiſce itaque partibus, quæ Fœtum ſive vivum, ſive mortuum antecedunt, nunc quoque ad *Extractionem Fœtus mortui, cum annexis Secundinis*, me propius accingam. Antequam autem initium hujus faciam, ſumme neceſſarium eſſe puto, ut Signa Diagnoſtica præmittantur, ſiquidem tam multæ occaſiones ſeſe exſerunt, in quibus obſtetricans de vita & morte Fœtus ſententiam atque opinionem dicere cogitur; præterea autem ſigna vitæ aut mortis Fœtus ipſius ſecundum rationes ſtatus, in quibus fæmina eſt, tam multi-

multifaria, ne autem in his error committatur, primo perſonæ præſentes, ipſæ diſtinguendæ, & ſecundum illas Signa mortis aut vitæ Fœtus annotanda, & diſpertienda ſunt.

§. XVI.

Diverſa autem ſubjecta, quæ proveniunt, ſunt 1) illæ Gravidæ, quæ vel per ſe jamdudum valetudinariæ, & debili corpore ſunt, vel quæ quidem ſpeciem bona ſanitatis præbent, impuram tamen maſſam ſanguineam in corpore fovent, quippe quæ ſi per placentam uterinam fluit, multas ibi ſtagnationes, ſtaſes, ſcirrhos, imo parvos lapillos format; 2) ſunt illæ fœminæ, quæ ictu, lapſu, contuſione, aut alia cauſa violenta externa damnum embryoni inferunt; 3) iſtæ fœminæ, quæ durante graviditate externam vim patiuntur, ex qua autem Fœtus nullum detrimentum capit, veruntamen ſerio ſimulant, ac ſi infans vere magnum damnum ab hac perpeſſa eſſet, ut judex reum in eo majorem, & illis porrigendam mulctam condemnaret. 4) Huc pertinent quoque omnes iſtæ fœminæ, quarum Fœtus in partu non capite, ſed altera corporis parte ſeſe ſiſtit, & tamen cito cupidæ ſunt, an is vitam adhuc habeat, aut jamjam mortuus ſit. 5) Annumerandæ etiam hic ſunt fœminæ, quarum Fœtus cum capite quidem primum in lucem venit, in partu autem tamdiu moratur, ut mater curam vitæ iſtius habeat, an is vivat, nec ne? Omnibus his jam memoratis fæminis ſunt partim communia, partim vero propria, & peculiaria Signa, ex quibus cognoſcendum eſt, an Fœtus vivat, aut jam mortuus ſit? Et quidem primæ fæminarum ſpeciei incumbit, ut apud ſe obſervent, an Fœtus continuo, & de die in diem,

 quo

quo diutius, eo fortior ſeſe moveat, & tum pariter, an corpus quo longius, eo magis ſurſum ſeſe extendat, atque elevet, ex quibus duabus partibus nempe ſine dubio mater de adhuc vivente fœtu certior redditur; ut autem talis & omnes aliæ poſtmodum tractandæ fæminæ falluntur, & ſæpiſſime forſitan flatus, contractiones ſpasmodicas, aut ructus ventriculi pro motu fœtus in utero æſtimant, notandum ita eſt, quod motus veri ab intra extrorſum, & ſuperius fiant, & ſi eo tempore manus in illum locum poſita eſt, quo dictus motus fit, membrum movens Fœtus tanquam aliquid durum ſentiatur; quemadmodum autem quandoque accidit, quod vel Fœtus per ſpatium temporis ſe non moveat, aut ſe illo tempore ad votum non movet, neceſſe eſt, ut ad talem motum efficiendum una manus aut per ſe aut aqua frigide facta plane abdomini prope umbilicum imponatur, & leniter ei imprimatur, tum Fœtus, ſi adhuc vivit, motus ſuos ob hanc cauſam exercere cogitur, quia frigida manus, & preſſio illius efficit, ut muſculi abdominis contrahantur, hi autem pariter comprimunt, ut illi ſe contrahendo Fœtum in anguſtum ſpatium premant, & per hanc preſſionem Fœtum excitant, ac commovent, ut ſeſe moveat ad priſtinum ſpatium recuperandum, ſi vero commemorata valetudinaria in ſtatu graviditatis motus Fœtus quo diutius eo debiliorem, & tandem plane non obſervat, & talem motum per ante dictam impoſitionem, & preſſionem manus frigidæ, præſertim ſi eæ repetuntur, non ſentit; præterea fæmina quoque obſervat, quod elevatio, & extenſio abdominis ſenſim, ſenſimque evaneſcat, abdomen laxius, & nimis flaccidum reddatur, & in ſolidum onus in oſſibus pubis ſentiatur, &

juxta

juxta motum abdominis hinc vel illinc ut globus concidit, mammæ, quæ antea extenſæ, & duræ erant, nunc ſubſidert, & flacceſcunt, quinimo liquor lacteſcens ex illis effluit ante partus tempus certa eſſe poteſt, quod Fœtum mortuum in utero geſtet, ante quem partum quoque magna copia albæ mucaginis immediate effluit.

§. XVII.

Secunda ſpecies Gravidarum eſt ea, ubi externa vis Fœtui vere damnum infert, in hoc caſu Gravida ſtatim externa perpeſſa vi inſolitum & fortem motum Fœtus ſentiet, deinde autem ſubito nil magis de ſenſu percipiet, & poſt præter lapſos novem dies tardiſſime dolores partus, & partum ipſum experietur, & quidem ſine ante dictis ſignis Fœtus mortui obſervandis; ſi autem externa vis non admodum vehemens fuerit, attamen fœmina per ſe corpore debili & valetudinario ſit, eadem Signa ſi Fœtus vitam perdidit, ſenſim, ſenſimque in ea oriuntur, de quibus in prima ſpecie mentio facta eſt; ubi adhuc monendum eſt, quod, ſi tales valetudinariæ fæminæ alias ad inordinatum menſium fluxum pronæ fuerunt, illæ facile, ſi tantum levem vim perpeſſæ ſunt, & propterea ſenſim ſenſimque motum hactenus ſentitum amittuntur in ſuſpicionem veniant, ac ſi nunquam vere gravidæ fuisſent, & hanc ob cauſam tales fœminæ ſerio remedia pellentia & emmenagoga deſiderant, ad ſuppreſſum menſium fluxum tollendum, & eum iterum promovendum, quæ autem his non danda ſunt, priusquam per tactum orificii uteri inquiſitio inſtituta fuerit, quippe per quem & per circumjacentem uteri ſubſtantiam, ſi ſecus Fœtus mortuus adeſt, illius caput ut globulus uno digito ſur-

ſum pelli, & rurſus delabi poteſt. Tertia ſpecies ſunt eæ fæminæ, quæ propter minimam prægreſſam vim, ſtatim de in hanc conſecuta Fœtus morte querelas inſtituunt, quamquam ſatis ſuperque contrarii, ob continuum motum Fœtus ſui certæ factæ ſunt, hæ ſuperius dicta ſigna fœtus mortui omnia ad ſeriem recitare poſſunt, & ſi deſideratur juramento certo reddere, quod ea omnia in ſe ſentiant; fides autem hujusmodi fæminarum verbis non danda, ſed ipſæ inquirendæ & examinandæ ſunt, & ſi unum quoque vel alterum Signum non autem omnia in iis inveniuntur, deciſioni limites ſunt ponendæ, & hæ fæminæ usque ad partum conſolandæ ſunt, quippe qui poſtea certiſſime in lucem edit, an Fœtus tempore acceptæ vis externæ ſpiritum ſuum efflaverit; quia tunc cutis Fœtus fuſca, & multis plicis prædita, cuticula autem tota abraſa, oſſa cranii ſeparata, & ſuper ſe invicem poſita, cutis cum pilis prædita capitis plane mollis, verbo, totum corpus putredine infectum ſit.

§. XVIII.

Quarta ſpecies comprehendit in nixu ſtantes fæminas, & quidem quarum Fœtus non cum capite, ſed cum alia corporis parte primum in lucem venit, in quo caſu ſæpiſſime ejusmodi fæminæ antequam obſtetricans manum corpori admovet, cito cupidæ ſunt, an fœtus quoque adhuc vivat, cujus infallibilia Signa ſunt, ſi poſt intruſionem manus cavum uteri cum ea vel pulſatio fontanellæ ſentitur, vel ſi funiculus umbilicalis tangitur, ut arteria pulſans illa reperitur, aut ſi unus vel duo digiti in os Fœtus immittuntur, lingua ejus cum his tangitur, & tum ea ſe movet, aut etiam digitum ſeſe circumvolvit

quaſi

quaſi ac ſi Fœtus ſugere vellet, aut ſi Fœtus brachium ex utero pendet, & illud quidem inflatum, & magno tumore præditum, porro ſi quoque manus digiti comprimuntur, & illius manus pugnum facit. Contra ea, ubi omnia jamjam memorata Signa non ſunt, inſuper oſſa cranii a ſe invicem tanquam ſeparata plenario ſuper ſe invicem poſita ſunt, porro brachium pendulum ſuam naturalem craſſitiem & colorem habet, epidermis autem abraſa eſt, ſine dubio Fœtus, & ſi adhuc ultimum ſignum accedit, per magnum temporis ſpatium mortuus eſt; hic autem adhuc reſpectu ante dicti tumoris brachii penduli adnotandum eſt, quod ſi ejusmodi tanquam Signum Fœtus adhuc viventis allegatum eſt, tale de initio nixus, non autem de progreſſu, & continuatione intelligendum ſit, tunc quodlibet brachium ex utero pendulum, & tumore præditum deſignat, quod Fœtus cum ejus brachium elapſum ſit, vere, & certo adhuc vixerit; Sin vero Fœtum in tali ſitu per longum temporis ſpatium permanere oportet, fit perfacile, ut propter impeditum ſanguinis circulum vitam amittat, brachium autem tumorem ſuum retinet, & ita per ſe unice ſumtum nullum certum Signum mortis aut vitæ Fœtus dare poſſit. Quinta & ultima ſpecies fæminarum eſt, quarum Fœtus cum capite primum in lucem venit, inter oſſa autem pelvis hærens, atque fixus manet, ut ſola manu neque retropelli, conſequenter etiam non verti, nec extrahi poſſit; in quo caſu, quia nullo alio modo auxilium eſt, quam ut talia inſtrumenta applicanda ſint, quæ Fœtui, ſi adhuc ſpiritus adeſt, vulnera lethifera cauſantur, unusquisque Obſtetricans antea quoque certus factus eſſe deſiderat, an Fœtus mortuus ſit, nec ne? de quo ali-

aliquem certum facere perdifficile eſt, dum omnia ante dicta Signa in hoc caſu non reperienda ſunt, conſequenter etiam locum habere non poſſunt, licet DIONIS & cum VAN HOORN effluxum murideſcentis nauſeoſæ & fœte entis mucaginis, quæ illi ſimilis eſſe debet in ore adulti hominis ſeſe accumulanti, & ſi illius anima efflata eſt, effluenti, tanquam Signum certum & infallibile proferant, quia autem ſæpiſſime fit, quod ſi Fœtus non in abdomine, ſed tergo poſitus eſt, & cum capite primum in lucem venit, pariter talis virideſcens, & maleolens mucago ex illo effluat, & talis nihil aliud eſt, quam cum Aqua mixtum Meconium, ex hoc autem & hoc ante dicto ſitu Fœtus per ſe nullum mortis periculum timendum eſt, ſic quoque hoc Signum nullam certitudinem vitæ aut mortis præbere, aut Signum quaſi Pathognomonicum eſſe poteſt: quapropter nullum aliud reſtat, quam ſeparatio cuticulæ externæ a ſubſtrata cute capitis craſſa fœtus.

§. XIX.

Præmiſſis itaque Signis Diagnoſticis, ex quibus concludi poteſt, quod fæmina cum embryone mortuo gravida ſit; ſic quoque in præſentiarum tractandum erit, quomodo tali fæminæ, partim in ſua continuante & progrediente graviditate conſulendum, partim vero quoque hanc inſequente nixu, & partu ei auxilium porrigendum ſit. Quod itaque primam partem attinet, Veteres ſtatim, ſi fæmina gravida de motu non magis ſenſum habuit, talia remedia ordinaverunt, quæ partum, licet ad huc deſtinatum tempus nondum adfuerit, promoveant, in hunc finem ſic dicta remedia pellentia copioſe præſcripſerunt, non ſepoſitis quoque remediis analepticis, ad gravidam

tam

tam contra debilitates, quam & contra incipientem putredinem ſanguinis præcavendam; verum enim vero cum partus opus naturæ, & cum pellentibus remediis non tam urgendus ſit, inſuperque fœtus, ſi jamjam mortuus eſt, in ſuis membranis & Aquis adhuc lateat, nimis tarde in putredinem abit, quinimo, ſi quoque jam incipit putreſcere, nihil tamen de ſua putredine matri communicare facile poteſt, quia nihil ex ſuo putreſcente corpore, & inde ſublata ſanguinis circulatione Fœtus in utero, in venas matris fluere poteſt, præterea gravida nullum aliud incommodum atque moleſtiam, quam tantum grave onus & pondus in abdomine, neutiquam vero debilitates corporis & animi deliquia, multo minus febrem continuam putridam extimeſcendum habet; omnia pellentia remedia autem, ſi effectum ſuum edunt, in eo præſtant, ut in ſanguine vehementem orgaſmum excitent, & per facile inflammationem uteri hanc ob cauſam producere poſſint, dum ſanguis ad uterum vehementi impetu, & nimia copia currens, ad extremitates vaſorum uterinorum quidem impellunt, longius autem, dum vaſa placentæ uterinæ propter mortem Fœtus collapſa ſunt, ducere queunt. Sic multo melius eſt, ut totum opus naturæ ſoli relinquatur; interim autem nervi intendantur, ut vires gravidæ ad tempus parturitionis approbinquans usque, conſerventur, quod autem optime per bonam & nutritivam diætam fieri poteſt; Si autem gravida, aut adſtantes antiquo more ſolito atque præjudicio, remedia quoque confortantia deſiderarent, confectio Alkermes, aut de Hyacintho hanc ob cauſam, aut pulvis quoque ad cordis palpitationem adpropinquante nixus hora, quæ partim per copioſum

craſſæ & albæ muſcaginis effluxum, partim vero quoque ex lentis & tardis mox autem revertentibus, mox vero iterum transeuntibus dorſi doloribus, & lenioribus nixibus in anteriorem & poſteriorem partem abdominis cognoſcitur, tunc Obſtetricantis eſt officium, ut ſæpiſſime, pauciſſime autem per diem una vice & durantibus ejusmodi dorſi doloribus gravidam tangat, ut, quia in hoc caſu orificium uteri tacite quaſi ſe aperit, fœminæ, ſi talem apertum invenit, conſulat, ſuadeatque ad inſtantem partum ſe præparandum, & lenes dolores, quippe qui dolores veri ſunt, deorſum premendos, & eam cum his doloribus ſimul operandam eſſe; Obſtetricanti autem tunc incumbit, ut parturientem non ſolam relinquat, ſed ſi tales dolores ceſſarunt, eam tangat; prætereaque in hoc caſu expectatum habeat, quod Aquæ nunquam tam fortes, & tam duræ, ut in partu Fœtus vivi ſeſe inſiſtant, ſed potius quod Fœtus quanquam nonnullæ ſeptimanæ præterlapſæ ſunt, in quibus Fœtus mortuus eſt, in ſuis Membranis & Aquis incluſus, una & ſimul in lucem venire poſſit.

§. XX.

Accidit autem, ut Aquæ modo ſolito, disrumpantur, tunc iterum Obſtetricantis officium eſt, ut ſtatim poſt illarum rupturam inquirat, qua parte corporis Fœtus primum in lucem venit; ſi itaque ejus Caput eſt, tunc partus naturæ viribus plenarie committendus eſt, Obſtetricans autem curam habeat, ut vires parturientis cum optimis ſapidis jusculis, potius conſerventur, & magis magisque roborentur, non autem curam forſitan tarde & debiliter inſiſtentium dolorum ſibi faciat, qui juſto tempore auxiliante natura deinde fortius atque celerius in ſe invicem

cem ſequuntur, & permittat ita, ut caput corpore promineat, apprehendat autem non tam caput ipſum ex metu, ne divellat, quam potius brachia infra axillas in quolibet latere uno digito unci inſtar, & totum tractu vacillante cum hoc extrahat; ſin vero Fœtus cum alia corporis parte in lucem venit, tunc duo digiti in orificium uteri intruduntur, & extrahuntur cum illis pedes ſine multo labore, aut ſi cum pedibus Fœtus initio prodeat, tunc Obſtetricans utrosque pedes, ſi contigui ſunt, digitis ſupra & intra malleolos poſitis apprehendat, eosque ſimul & ſemel ſed hac obſervanda enchireſi, ut digiti pedum faciem infantis reſpiciant, ne ſi verſus occiput ducuntur, dorſum ad poſteriora parum ſaltem flexile ductui reſiſtat, & intentatam totius reliqui corporis inverſionem irritam reddat; præterea ut leni non vellicante, ſed ſtabili tractu pedes extrahantur, de brachiis autem multum curæ habere non neceſſe eſt, ſive ſint juxta ſive ſupra caput poſita; quod ſi autem Fœtus infra axillas usque extractus ſit, tum Obſtetricans unam manum ſupra & circa ejus collum aut nuchæ unius manus digitos divaricatos incurvatosque imponat, alterius vero manus digitos indicem nempe & medium ſupra pectus Fœtus ſurſum ori infantis intrudat, maxillæ ejus inferiori unci inſtar applicet, atque parturientem hactenus ſaltem paſſivam ut nunc totius corporis nixu activam ſe præbeat, adhortetur, eodemque momento & manu primo inferna, mento ab oſſe ſacro depreſſo, & altera ſuperna ſimul uno validoque tractu, ſed vacillante & deorſum vergente caput utraque manu ſimul eliminare tentet. Sin vero hoc modo voti ſui non fiat compos Obſtetricans, alii pedes infantis in altum levandas tradit, ipſe-

 met

met vero ſua manu ſuperna & nucham deprimendo, & manu inferna maxillam inferiorem deorſum trahendo (quo facies infantis primum in lucem edatur) caput penitus, ſed hac obſervata cautela educat, ut, quam primum in tractu ipſo, caput oſſa pelvis tranſiiſſe ſentit, attractionis vim moderet, ne perineo rupturam alias inferat, ſed certam operationem felici cum ſucceſſu abſolvat.

§. XXI.

Utut autem quandoque evenit, quod caput infantis in partus initio oblique ſeſe ſiſtat, & per adauctos nixus oſſium pelvis aperturæ impingat, adeo, ut manui Obſtetricantis aditum in uterum plane occludat, tunc unice ad inſtrumenta, quo mater ſervetur, confugiendum eſt: vita autem matris quandoque conſervatur, ſi in tali partu caput infantis inſtrumento quodam pungente *Trocar* dicto perforatur, & meninges dilacerantur, in oſſa autem cranii cum ſerra quadam apertura redditur, cerebrum deinde cum cochleari depromitur, latera capitis arcte comprimuntur, ut hujus inde magnitudo admodum diminuatur ac duos vel tres digitos parti cranii internæ immittendo, externe vero pollices imponendo, tandem caput, totusque ejus truncus modica vi educatur, & ſic Fœtu imprimis jam mortuo Obſtetricans mente conſcia recti ſe illa mala Fœtui non induxiſſe, confidenter operationem hancce perficere poteſt.

§. XXII.

Fœtu itaque hoc modo extracto, & in lucem edito non neceſſarium eſt, ut funiculus umbilicalis, quia mortuus eſt, diligetur, eo magis autem perpendendum eſt, quod funiculus umbilicalis ob inceptam putredinem

nimis

nimis tenuis, mollis, & fragilis, conſequenter placenta uteri cum illo minime extrahenda ſit, quia leniſſima extractio funiculum umbilicalem ſtatim abrumpit, & poſtea, quia orificium uteri in hoc caſu non totum, ſed tantum, quantum ſpatium Fœtus mortuus & mollis requirit, ſeſe aperit, difficillime ita extrahenda ſit; quapropter funiculus umbilicalis tantum prehendendus eſt, alteram manum vero ſtatim ſurſum, & in uterum usque ad placentam uteri intrudat, & talem ſi adhuc ad uterum adhæret, & ita adnata, inprimis ſi inſuper ea quoque extra ſphæram activitatis fibrarum orbicularium muſculi *Ruyſchiani* in utero poſita eſt, promta manuali ab utero decorticatione atque plenaria ejus extractione debitis circumſcriptis cautelis, aut ſi jamjam ſoluta eſt, & tantum in cavo uteri jacet, prehendat, & ita prorſus uterum evacuet.

§. XXIII.

Obſtetricans ut modo laudatam manualem Placentæ extractionem rite abſolvat, una manu funiculum umbilicalem (ſi hic placentæ adhuc dum contiguus eſt) prehendat, & immittat in hoc caſu ſtatim totam manum attractis digitis juxta funiculum umbilicalem per vaginam uteri pone orificium in cavitatem uteri, & ſemper intrudat eam juxta funiculum umbilicalem ſurſum usque in eum locum, ubi funiculus umbilicalis in Placentam ſeſe inſinuat; reperit autem Obſtetricans quod orificium uteri jamjam valde occluſum ſit, & ita toti manui tranſitum non concedat, hoc antea hunc in modum aperiendum eſt: ut primo duo digiti in illud immittantur, & cum his in circumferentia circumducendo orificium aperiat, ut poſtea tres, quatuor & tandem omnes quinque digiti in huncce jam allegatum

modum immittantur, & orificium toti manui ſatis amplum reddatur. Accidit autem immiſſa manu, quod in cavitate uteri funiculus umbilicalis per anguſtum quaſi foramen in cavitatem quandam intret, & hanc ob cauſam manus ad Placentam non immitti poſſet, introitus hicce anguſtus ad cavitatem pari modo ut ante dictum occluſum uteri orificium, aperiendus eſt; quia autem in tali labore uterus quaquaverſum uti digiti in hoc introitu cavitatis moventur, ſeſe vertit, & titubat, externe palma puerperæ abdominis regioni elevatiori & duriori ſuperimponenda, & cum ea uterus ſubſtratus tranquille tenendus eſt, ut amplificatio interna introitus cavitatis eo facilius fiat. Sin vero in immittenda manu nullum de his omnibus obſtaculum ſeſe exſerit, ſed potius in fine funiculi umbilicalis tota & plenaria Placenta, manus præcipue a funiculo umbilicali continuo dorſo Placentæ imponenda, immittendaque & quidem manus ita dirigenda eſt, ut ea retro membranas Placentam cingentes, aut inter eas, & uterum ponatur, & deinde quosdam digitos circa totam Placentæ peripheriam ducat, ad inquirendum an ea nullibi paulatim decorticata, aut ubi minimum accreta ſit, deinde in eo loco dorſum manus & quidem unum digitum poſt alterum excepto pollice ſubmittere, ut illi jam uterum verſus, jam Placentam verſus premantur, & ſimul tota manu continuo progrediatur in eundem modum, (ut maſſa panis farinacea a menſa tollitur, ubi nulla farina ſubſtrata eſt,) & id tamdiu, donec tota Placenta ab utero blande, paulatim, penitusque decorticata ſit; tum ei loco pollex ſuperimponitur, ubi funiculus umbilicalis in Placentam Uterinam ſeſe inſinuat, reliqui digiti Placentæ ſubjiciuntur, & ope funiculi

niculi umbilicalis tota quanta Placenta ex puerperæ corpore leniter extrahitur, & ſic adæquata quoque antea inæqualitate uteri manus dorſo ſi quæ occurrat, puerpera a vitæ periculo, ſed & a doloribus poſt partum alias ſumme dolorificis optato liberatur.

§. XXIV.

Quod denique & ad ultimum Lochia poſt partum Fœtus mortui attinet, ea ſolito ſunt pauca, raro rubicunda, ſed tantum ut lotura carnis magis; quapropter remedia pellentia, & Emmenagoga, neutiquam ad ea promovenda, aut copioſiora reddenda adhiberi debeant: contra ea Lochia hæcce alba durant eo diutius, ſunt quoque ea copioſiora, contra quæ autem interne uſus Pilularum Stahlianarum, aut Beccherianarum cum Infuſo theiformi ex Herbis Veronicæ, Lamii Plinii, Fl. Bellidis, Scabioſæ, Urticæ mortuæ, Papav. rhœad. confecto, externe vero quoque repetita elevatio vaginæ vel cum Decocto Salviæ, atque Chærefolii, vel Aqua vulneraria in Diſpenſatoriis deſcripta tepide peragi, & cum bono uſu adhiberi poſſunt; quod ſi autem hæc remedia partes uteri & vaginæ præ extimeſcenda excoriatione non præſervent, aut ſi jamjam vera excoriatio præſens eſſe debeat, aqua vulneraria, alias L'eau d'arquebuſade dicta cum aqua Calc. Viv. commixta ſalutari ſcopo in uſum vocari poteſt.

§. XXV.

Denique & ad finem neceſſe eſſe duco, ut hæc quæſtio in hac tractatione de *Fœtus mortui cum annexis Secundinis ex Utero Extractione* ventiletur: an quoque parturiens, ſi ea non ſponte ad neceſſariam operationem ſeſe accommodare vellet, vi cogenda ſit? in quam quæſtionem,

meo

meo judicio, affirmative reſponderi poteſt, ſiquidem non modo nulli homini licitum eſt, ut frivole vitam ſuam ipſe bona cum conſcientia abbreviet, ſed & omnes, qui ejusmodi fæminam circumſtantes perſonæ in animo & conſcientia ſunt obligati, ut bono conſilio & auxilio impediant, ne talis parturiens ſuam conceptam reſolutionem in actum perducat; ſi itaque parturiens quædam, ſive ex defectu intellectus, ſive ex timore dolorum, aut propter ſupervacaneum dolorem operationi ſumme neceſſariæ voluntarie, & ſponte ſe non ſubjiciat, omnes tamen circumſtantiæ evidenter probant, & in lucem edunt, quod ea ex omiſſione operationis neceſſario vitam ſuam amitteret, Doctores Artis Obſtetritiæ ſecundum conſcientiam ſuam haud ſecus agere poſſunt, quam ut adjumento & voluntate circumſtantium parturientem talem fæminam cogant, uti de his DE LA MOTTE des Acouchemens *l. 4. c. VII. p. 575.* diverſa & plurima exempla allegat.

Et hæc ſunt, B. L. quæ de *Fœtus mortui cum annexis Secundinis ex Utero Extractione* chartis breviſſime committere mihi placuit, ut itaque labore præſente contentus ſis, eique faveas, & præterea pro Tua Humanitate conatus meos æqui bonique conſulere imbecillitatique veniam impertiri velis, abs Te obnixe rogo; Interim Deo tanquam certiſſimo ſalutis fonti ſtudiorumque meorum optimo Moderatori pro conceſſis benigne viribus, omnem ac ſummam unice tribuo

GLORIAM.

ERRATA.

Pag. 5. lin. 27. leg. apprehenditur. pag. 7. lin. 5. leg. Allantois. pag. 24. lin. 4. fœtentis.

CLA-

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

Μακαριότητα apprecatur

PRÆSES.

QUando ingreſſum hominis in ſpectabile hoc Mundi theatrum, progreſſum illius per tot diſcrimina rerum variosque arduos, periculoſos & adverſos caſus & denique egreſſum atque deſcenſionem ab hoc theatro diverſarum actionum & mutationum contemplamur tunc totus vitæ humanæ ambitus officina multæ miſeriæ & calamitatis exiſtit: Si conceptionem hominis ſcrutamur, quot non impedimenta atque turbæ illam antecedunt, comitantur & ſequuntur! ita ut falſi & ſpurii conceptus omnibus attentis & peritis obſervatoribus multis probati & cogniti ſint exemplis: Ulterior formatio tenelluli fœtus a primis ferme rudimentis & ſtaminibus multis deformationibus, confuſionibus & difficultatibus obnoxia eſt, ita ut in primo ortu confeſtim ſuum interitum ſimul acquirat; Et ſi tandem multa cura ac ſollicitudine fœtus humanus terminum partus ſui aſſecutus eſt, tunc denuo varia pericula atque offendicula eundem circumſcribunt, ut non modo ſæpe uterus, tanquam officina vitæ, viciſſim triſte evadat ſepulchretum, ſed & variis auxiliatricibus adminiculis & enchiriſibus e clauſtro tali duci ac vita illius ſalvari debeat, quem ſtatum proinde nihilominus multus labor excipit, juxta illud APOLLI-

NI *ap.* STOBÆUM *ſerm. 29. Non eſſe natum nihil eſt; natum autem eſſe, labor eſt.* Quodſi etiam fatalis ſucceſſus ſpem deſtituerit & frugem hanc in prima ſua germinatione, velut gemmam atque ocellum, diverſis tragicis cauſis extirpaverit atque defregerit, tunc duplex cura premit affligitque cordatum Medicum, partim ut cadaver illud e vivo matris corpore congrue & opportune expellat, partim ut in vitæ periculo fluctuans mater debite & tempeſtive ſalvetur & conſervetur, ne cum mortuo fœtu ſimul mater pereat. Et tales periculoſi caſus Medicum ſemper angunt excitantque quo ſalutaribus ſubſidiis exoptatam opem ferat. Talis laudabilis labor TIBI CLARISSIME DOMINE CANDIDATE præſenti Inaugurali Specimine, quod propriis viribus ex egregiorum profectuum Tuorum theſauro atque tenore protuliſti, curæ cordique fuit. Compleviſti etenim integrum nobile triennium, quo in Fridericiana Medicum ſtudium diſtincta & ſingulari plane, ideoque omnibus probanda & commendanda aſſiduitate proſecutus es; ex ore variorum Doctrina & Peritia inclytorum virorum optima ſelectiſſimaque hauſiſti & excepiſti dogmata & inſtituta; quæ diu noctuque præclara ac indefeſſa ſolertia ita cognita Tibi reddidiſti, ut egregium apparatum Scientiæ & eruditionis Tibi comparaveris: Teſtem me hujus elogii eo confidentius exhibere poſſum, quo curatius ſtudiorum Tuorum laudabili accremento invigilavi; quemadmodum a Parente Tuo Honoratiſſimo, quippe amico coævo & commilitone quondam academico æſtumatiſſimo, ingenuis meis conſiliis ac inſtitutionibus traditus es, unde per id temporis ſpatium, quo curricu-

riculum academicum inter nos abſolviſti, in ædibus meis vitam modeſtam, tranquillam & honeſtam egiſti; proinde autem æque laudando, plus ultra proficiendi, ſtudio atque ardore in Celebri Argentina Academia Anatomico & Chirurgico labori magna pariter ſolertia operam dediſti, ita ut nunc promeritos Honores academicos, tanquam induſtriæ Tuæ ornamentum ſuſcipere queas; de quo & Tibi & Patri Tuo ampliſſimo ſincero corde gratulor: præprimis dum ordini noſtro elegantem Tuam capacitatem in re Medica abunde comprobaſti. Coronet porro DEUS uberrima benedictione Sua Te Tuosque: largiatur officiis & conatibus Tuis feliciſſimos progreſſus, ac largiſſimam ſpiritualis & temporalis ſalutis frugem Tibi & honorandæ Familiæ conferat, quo de præmio induſtriæ Tuæ exoptatiſſimo, ſemper gaudere Valeas. Dab. Halæ Magdeb. VII. Iduum Novbr. A. R. S. cIɔIɔcc xxxvii.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
JO. GOTTLOB PANNACHO
S. D.
IO. IVNCKERVS.

Mortalium plures quum ante moriantur, quam quidem nati fuerint, munusque obſtetricium ſiniſtre adminiſtratum præcipue hic in crimen venire nemo fere dubitet: tum qua ratione huic perniciei medendum ſit, res publica die multumque deliberauit. *Embryulciæ* ſtudium, quod fœtum ex vtero materno

terno vel viuum adhuc vel iam mortuum extrahere docet, huic calamitati originem ſuam debere, quilibet facile concedit, neque diſſimulandum, hanc operationem, quæ in *Gallia*, *Anglia*, *Batauia* aliisque regionibus vſitatiſſima eſt, in multarum parturientium commodum feliciter paſſim exerceri. *Germania* quidem noſtra, huc vsque praue pudens, hoc beneficio diu carere debuit: ſed iam paullulum depudeſcere videtur, alias gentes hac quoque in re imitando. Interim pauciores adhuc reperiuntur, qui *embryulciam* apud nos ex profeſſo adminiſtrent. Quare recte feciſti, CANDIDATE CLARISSIME, quod, quum curſum medicum tribus in hac Academia annis eximia laude abſolueris, ad *Gallos* iter facere, & *Argentorati* in hac quoque palæſtra TE exercere, quid in ea profeceris, ſpecimine nunc inaugurali exhibere decreuiſti. Non mediocres in facienda medicina vſus & commoditates hoc ſtudium promittit, præcipue ſi animo incorrupto ac verecundo tractetur. *Deus* enim princeps operator eſt, qui ad formulam *Dauidis* homines ex vtero materno trahit: eo ſecundante embryulcia optime ſuccedit. Optima quæque, a TE CANDIDATE OPTIME, ſperamus: quoad enim apud nos vixiſti, induſtrium & moribus probatum ſemper TE agnouimus. Quare, vt porro agas feliciter, eſt, quod voueo & ex animo precor. Dab. in Fridericiana die VI. Nov. MDCCXXXVII.